

A V R E A
PRACTICA
LIBELLORVM, PE-
TRI IACOBI AVRELIANENSIS,
I.C. clariss. & Practiciceleberrimi.

IN QVA, EA QVAE AD ACTIONVM RECTE
instituendarum rationem, etiam in quocunq; negotiorum ges-
nere, ac aliâs ad praxim Forensem pertinent, ex funda-
mentis Iuris, quâm solidissimè traduntur
& explicantur.

*Nunc primum, in gratiam Studioorum ac Practicorum Iuris, è tenebris & situ
ad lucem reuocata, diligenter recognita, & Summarijs Additioni-
busque utilissimis illustrata.*

Opustam utile & necessarium, ut magni nominis Iurisconsulti censuerint,
non minùs I.C. hoc volumine, quâm Sacerdotem Bre-
uiario, instructum esse oportere.

Cum duplii INDICE locupletissimo.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Geruinum Calenium, & heredes Quentelios.
Anno Domini M. D. LXXXV.
Cum priuilegio Imperiali ad Decennium.

Coll. Soc. I. & S. v. Salem. ex dono Regum.

TYPOGRAPHVS

CANDIDO LECTORI S.



VM nuper in manus meas, fortè fortuna, veniret, Candide Lector, hæc PRACTICA LIBELLORVM (non immerito, AVREA dicta) PETRI IACOBI AVRELIANENSIS, I. C. suæ ætatis clarissimi, & Practici celeberrimi, ante multos annos Lugduni impressa: eam q; ex parte euoluerem, ita mihi statim placere coepit, vt quam maximè operę precium censerem, eam in lucē reuocare, atq; omnibus communem facere. Quo me Studiosis Iuris & Practicis cùm primis gratū facturū, ratus sum, propter summam eiusdem utilitatem. de qua nō est necesse, vt ego hīc multa adderā, cùm eam, Opus hoc ipsum præsens, per se satis, atq; etiam Præfati ucula sequens, Maturini Gitaldi, breuiter quidē, sed accurate, demonstrent. adeò, vt sanè mirum sit, tam diu in paucissimorum tantū manibus, librum hunc tam utilem, deliciuisse, & in lucem reductum non esse. Sed id haud dubiò hinc factum, quod liber iste hactenū innumeris scatuerit mendis, nullisq; Summarijs, quæ lectori utilissima, & properantibus quasi necessaria sunt, illustratus fuerit: difficulterq; hodiè inueniantur, qui id operę, in gratiam Reipub. præstare velint. Quas difficultates nunc nos in humeros nostros suscepimus, & effecimus, per Dei gratiam, vt PRACTICA hæc, iam diligenter recognita atque emendata, pristinæ suæ integritati restituta, Rubricis exactius distincta, & commodis Summarijs, additionibusque non contemnendis, illustrata, in lucem prodeat. Accipe igitur læta fronte, Candide Lector, hanc Practicam, sanè utilissimam, quam non absque maximis difficultatibus nostris tibi nunc exhibemus, eaque tuo & Reipub. bono vtere. Breui, Deo volente, plura similia daturi. Vale.

PRACTICA AVREA

LIBELLORVM, PETRI IACOBI

AVRELIANENSIS, CLARISSIMI

IV RECONSULTI.

S V M M A R I V M .

- 1 *Inuocatio diuini nominis, & de eius perfectione & omnipotentia.*
- 2 *Authoris institutum.*
- 3 *Libellum formanti quid inspiciendum & cognoscendum.*
- 4 *Azon ad Summam, præ alijs, tanquam ad tubam veritatis recurrendum.*
- 5 *Azo in quibus locis non legendus.*
- 6 *Tempus, quo hoc opus libellorum ab auctore publicum accepit.*

P R O O E M I V M .



Illum Dei vnigenitū Dominum
IESVM Christum, verū Deum & verū hominem, ducem & Saluatorē nostrum inuocando, qui cum patre & Spiritu Sancto substancialiter unus est, & solus Deus, & unus solus omnipotens Dominus, q. vt ait Anna, scientiarū est Dominus, & omnia in sapientia fecit,

1. Reg. 2. Psal. 118. & sapientia eius non est numerus, cuius perfecta sunt opera, & lex eius, & omnes viae suæ veritas, cui omnia scruiunt, tam bonorum nostrorum non eget:

Psal. 15. quia & vt ait author de causis, primum, id est, Deus, est diues in se, & diues in alijs: diues in se, quia ipse alijs rebus non eget: & diues in alijs, quia omnia alia aegente eo. Ego Petrus Jacobi † de Aurelia legum Doctor, in Monte Pessulano residens, pro instruendis Aduocatis, & etiam pro proiectis Scholaribus librum Institutionum legentibus, & specialiter super titulo de actionibus, ad formandos aliquos libellos progredior. Et licet libelli dominorum Roffredi & Io-

hannis de Blonosco, & Guillermi de Ferrarijs videantur posse sufficere, atamen libelli, & alia que dicam, sanè intelligentibus prodesse poterunt, non obesse. Et cùm ad recte formandos libellos, & ad recte formatos sustinendos, seu ad obtainendum in causa, oporteat vim & naturam actionis intentatæ cognoscere, necesse est super natura actionis, ad textus & glossas ordinarias iuris ciuilis recurrere: qui cùm sint aliquando nimis diffusi, & ad perquirendum laboriosi, omissis summis, quas † dicuntur fecisse domini predecessores nostri, Rogerius, & Placentinus, & Iohannes, ad Summā domini Azonis, tanquam ad tubam veritatis recurratur, † excepta materia C. de liber. præt. vel ex hac red. autent. ex causa præteritionis, & excepta materia, de acqui. possel. l. fin. super quibus consulo perquirere textus, & eos intelligere, & obseruare, iuxta glossas ordinarias, Summa domini Azonis in illis quasi omessa, vel quasi posita in sequistro. Datū anno † Domini M. CCC. XI. 6

R V B R I C A I.

De rei vendicatione, quæ competit ratione directi dominij.

S V M M A R I V M .

- 1 *Libellus ratione directi dominij exhibitus, quibus iuribus probetur, & super qua ratione formatus sit. nū. 2. & 3.*
- 4 *Actio in re cōpetit ratione directi dominij.*
- 5 *Dominij verbum simpliciter prolatum, intelligitur de directo.*
- 6 *Positiones decem, quibus auctor probare potest directum dominium, quanvis non nisi ex una causa acquiratur.*
- 7 *1. Insula nata in mari, si eins, qui primus eam occupat.*